

Apoll und Hyacinthus

Ov. met. 10,162-219

*Tē quoque, Amyclīdē, posuisset in aëthere Phoebus,
trīstia sī spātium pōnēndī fāta dedissent;
quā licet, aetérnus tamen es, quotiēnsque repéllit
vēr híemem Piscīque Áriēs succēdit aquósō, 165
tū tótiēns óreri viridīque in caéspite flōrēs.
tē meus ante omnēs génitor dīlēxit, et orbe
in médiō pōsitī caruērunt praéside Delphī,
dum deus Eurótān inmūnītámque frequéntat
Spartēn. nec cítharae nec sunt in honōre sagíttae: 170
ínmemor ipse suī nōn rētia ferre recūsāt,
nōn tenuisse canēs, nōn per iuga montis iníquī
īre comes longāque alit adsuētūdine flammās.
iamque ferē médius Tītān veniéntis et āctae
noctis erat spatiōque parī distābat utrimque: 175
córpora veste levant et sūcō pinguis olīvī
splendēscunt lātīque íneunt certāmina discī,
quem prius āériās líbrātum Phoebus in aurās
mīsīt et oppósitās disiécit póndere nūbēs;
réccidit in sólídā longō post témpore terram 180
pondus et exhibuit iūctam cum vīribus artem.
prótinus inprudēns āctúsque cupídine lūsūs
tóllere Taenáridēs orbem properābat, at illum
dūra repercússō subiécit in †áere† tellūs
in vultūs, Hyacínthe, tuōs. expálluit aequae 185
quam puer ipse deus conlāpsósque éxcipit artūs
et modo tē réfovet, modo trīstia vúlnera siccāt,
nunc ánimam admótīs fugiéntem sústinet herbīs:
nīl prósunt artēs; erat inmedicábile vulnus.
ut, sīquis violās riguóque papáver in hortō 190
līliaque ínfringat fulvīs horréntia linguīs,
márcida dēmíttant súbitō caput illa gravátum
nec sē sustíneant specténtque cacúmine terram,
sīc vultus móriēns iacet, et dēfēcta vigóre
ipsa sibi est ónerī cervīx umeróque recúmbit. 195*

'lāberis, Oebálidē, prīmā fraudāte iuvéntā,'
Phoebus ait 'videōque tuum, mea crímina, vulnus.
tū dolor es facinúsque meum; mea dēxtera lētō
īnscrībēnda tuō est. ego sum tibi fūneris auctor.
quae mea culpa tamen? nisi sī lūsísse vocārī 200
culpa potest, nisi culpa potest et amāsse vocārī.
atque útinam prō tē vītam tēcúmque licēret
réddere! quod quóniam fātālī lēge tenēmur,
semper eris mēcum memoriq̄ue haerēbis in ōre.
tē lyra pulsa manū, tē cármina nostra sonābunt, 205
flōsque novus scrīptō gémitūs imitābere nostrōs.
tempus et illud erit, quō sē fortíssimus hērōs
addat in hunc flōrem foliōque legātur eōdem.'
tālia dum vērō memorántur Apóllinis ōre,
ecce cruor, quī fūsus humō sīgnāverat herbās, 210
désinit esse cruor, Tyriōque niténtior ostrō
flōs órítur fōrmámque capit quam lília, sī nōn
purpúreus color hīs, argénteus esset in illīs.
nōn satis hoc Phoebō est (is enim fuit auctor honóris):
ipse suōs gémitūs fóliīs īnscrībit et AI AI 215
flōs habet īnscrīptum, fūnéstaque littera ducta est.
nec genuísse pudet Spartēn Hyacínthon, honórque
dūrat in hoc aevī, celebrándaque mōre priórum
ánnum praelātā rédeunt Hyacínthia pompā.